

pedibus super prunas stare fecerunt, & alia multa tormenta in eum exercuerunt. Templum Apollinis, quod ante portam, quæ vocatur aurea juxta Amphitheatrum, suis orationibus demolivit. Cujus tanta beatitudo fuit, & mansuetudo, ut numquam, dum pateretur, alicui injuriam fecisset, aut eum increpasset, nisi dum fortiter torqueretur, ait ad Vicarium; Impiissimè quare non credis in Filium Dei, ut evadas tormenta æterna? Pro nimia dierum plenitudine curvus effectus est. Temporibus Vespasiani Cæsaris martyrio coronatus est. Vixit autem in Pontificale solio annos XXVIII., menses I. dies IV.

## OBSERVATIONES

## AD VITAM

## SANCTI APOLLINARIS.

Pseudo-dexter, & Bivarius confutati. Ecclesiæ per prolepsim memoratæ. Bidentis fluvius. Ecclesiæ certo Sancto dedicatione Apollinaris ævo recentiores. Rufus Patricius Ravennas diversus ab Episcopo, & martyre Capuano synonymo. Capitulum Ravennæ. Recentiorum commenta explosa. S. Apollinaris quo tempore sit martyrio coronatus. Eiusdem ex veteri Martyrologio encomium.

**I.** Quod primò observatione dignum occurrit, est, inter cetera, quæ Agnellus nec legit, nec à Senioribus audivit illud quidem esse, quod Bivarius Pseudo-dextrorum Commentorum propugnator, & Commentator ad annum I., ex Metaphrasæ nititur comprobare. Petrus ait, cum non diu mansisset apud Romanos, scilicet tres tantum, vel quatuor annos, & Linum Episcopum ordinasset, sibi scilicet suffraganeum, vel Coepiscopum, ut &c. .... anno quadragésimo septimo, vel initio quadragésimi, Romæ exiit versus Hierosolymam comitibus Marco, Marcello, Eugenio, Epaphrodito, Epæneto, Rufo, Crescente, & aliis. His igitur comitibus Petrus Ravennam transiens assumpsit secum Apollinarem, & tandem pervenit Hierosolymam, ubi eo anno interfuit assumptioni Virginis, & sequenti Concilio celebravit de legalibus non observandis à Conversis à gentilitate. Et hæc quidem cum his, quæ sequuntur, ut, si Deo placeat, sulciat fabulas Pseudo-dextri ad annum I. scribentis; Petrus ut Christi Vicarius Hispanias adiit, Imagines Antiochiæ delatas affert, Epænetum Sexifrimi in Bætica reliquit, Episcopis multis eum comitantibus Marco, Marcello, Eugenio, Apollinare Ravennate, quem redeuntem ad Italiam consequitur Calocerus, Barnabas, Judasque, hinc in Africam, & Ægyptum migrat. Hæc sanè ignoravit Agnellus, ignorare Ravennates Agnello seniores, ac inter ceteros Maximianus Archiepiscopus, ex cujus Historiis Agnellus acta hujusmodi admodum illustra hausisset. Ut autem reliqua omittam, quæ hujusmodi technas destruunt, ridere libet Bivarii lepidum argumentum, ut Apollinarem probet profectum cum Petro primùm Hierosolymam, inde in Hispanias, assumptum ex eo, quod secundum à Metaphrasæ narrata, Petrus Romæ discesserit, ut Hierosolymam pergeret, quasi itineri illi perficendo Ravennam pertransire debuerit, qua occasione data, Apollinarem socium assumeret, Porro si diceret Ravennam potius venisse, ut Apollinarem sibi sociaret, quid itineris rationi minus repugnans diceret.

Tom. II.

**A** ret. At cur non potius vocasset, ut Romæ simul discederent, vel maritimo itinere ab Ostiis, Antii, Tarracinæve Portu solvendo, vel eadem, qua venerant, via, per Appiam, Puteolos usque abeuntes? Ita quidem Metaphrasæ apud Surium, quo abutitur Bivarius, ait; cum autem non diu mansisset apud Romanos. .... venit Tarracinam. .... venit Sirmium Civitatem Hispaniæ. .... Carthaginem Civitatem Africæ. .... in Ægyptum. .... rursus Hierosolymam &c. Iter prorsus à Bivariano diversum. Undique commentum se prodit. Agnellus tradit Petrum Romam venientem Antiochiæ Apollinarem secum duxisse, quem post plurimum tempus Pontificem ordinavit, Ravennamque direxit sentit itaque Petrum id egisse non statim, ac Romæ degit, quod fieri necesse fuisset, si non diu Romæ moratus iter Hierosolymam capiens, pertransensque Ravennam, Apollinarem jam ordinatum, missumque, socium itineris assumpsisset. Semel igitur invitus ab Ecclesia Ravennati expulsus abijt, ut infra.

**B** II. Abeunti Romæ Apollinari narrat se socium adjunxisse Petrum per ferè XXX. miliaria, qua in via notat terminum, unde discessere, Faniculum videlicet, & alium, ubi per noctem cubaverit, quem ad Ulmum dicit, & utrobique impressa in Silice, & Petri orantis, & utrorumque dormientium vestigia recenset, ac in Principis Apostolorum cultum ibidem per prolepsim dedicata postmodum Monasteria, quorum nomine, quod sibi familiare est, Cratoria privata intelligit. Ac ita quidem hæc Agnelli narratio intelligenda est. Porro sicut Petrum Romæ ad Faniculum constitisse, & orasse, ibidemque Basilicas, pace Ecclesiæ data, eidem dedicatas fuisse, nullus ambigat, ita difficillimè stationem ad Ulmum triginta miliaribus Roma distantem ex itinerariis, Tabulisque quis expiscabitur, licet, & Scribentis tempore ibidem Ecclesiam Divo Petro dicatam fuisse, ejusdem Agnelli testimonium probet. Quod si via Flaminiæ, ut par est, processere, mansionem hujusmodi, & Ecclesiam circa Oriculum extitisse miliariorum ratio suadere poterit.

**C** III. Herenei filio cæco lumem redditum narrat, Teclam à morbo liberatam silet, Tribunumque ad Christi fidem conversum, quod Recentiores Agnello affirmant. Credi potest, hæc, & alia signa clausula illa significasse; plurimas fecit virtutes &c. sic & altera; Presbyteros, & Diaconos ordinavit intelligit, quod deinde narrabit in Vitis subsecutorum Pontificum. Porro quod ait; in Bedente fluvio, & in mare multos baptizavit, ostendit eodem nomine fluvium unum vocitatum. Montonem Recentiores vocant, sicut eundem Arietis nomine nuncupatum observavit Rubeus mox laudandus, quod ferè cum Montonis Italica significatione, & Arietis, & Bedentis, seu Bidentis vocabula conveniant. Fabrus, & Vervecis nomine dictum testatur fluvium eundem part. prima de Ecclesia S. Euphemie agens. Rubeus edit. 1590. Bidentem ab incolis dictum testatur alterum fluvium Ronchi nomine aliàs indigitatum, qui Vitæ Antiquorum creditur. Hæc autem Rubeus lib. primo; primum Baptismatis Fontem in ea urbis parte constitutum ferunt, quæ ad Arietem dicebatur à fluvio, cui proximè accedit, nomen sortita, quem nunc fluvium vulgari vocabulo Montonem appellamus in ipsius Tribuni Domo, quam Templum fecit, ac consecravit. Quod spectat ad postremum Rubei assertum, Agnellus hæc habet; In Basilica Beatæ Euphemie, quæ vocatur ad Arietem primitus Baptismum fecit. Rubeus post reditum, D. Euphemie idem, quod prius templum fecerat, dedicasse Apollinarem dicit, cum Virginis, & Martyris paulo ante passæ cultum, & sacra Lipsana

E

ab